

13
1702 29 4 15^b

PROGRAMMA
DE
LIBERTATE SEN-
TIENDI NON LIBERA,
QVO AD
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DE
IVRE APOSTILLÆ SEV POSTSCRIPTI,
A
CLARISSIMO CANDIDATO
JOANNI DANIELE HAAKIO,
NORDLINGA - SVEVO,
HABENDAM,
IVRISPRUDENTIAE CVLTORES
INVITAT
IOANNES SAMUEL STRYKIVS, D.
PROF. P. ORD. ET FAC. IVRID. H. T. DECANVS.

Homo, excellentissima DEI creatura, quemadmodum in summa libertate creatus, ita postquam per lapsum in miseram servitutem detrusus, merito osoni tempore id potissimum agit, ut in libertatem pristinam, tanquam rem inestimabilem, abiecit vinculis omnibus, & excusso seruitutis iugo, se vindicare queat. Maxime vero illa animæ pars, quæ intellectus vocatur, eius naturæ est, ut cancellis eum includere & limitibus iniquum omnino, ne dicam frustraneum, sit. Quid magis debetur homini, quam ut densissimæ tenebræ, quæ mentem eius obscurarunt, omni modo dispelicantur, ut vera luce illuminari possit? Hinc perperam omnino agunt, qui frenum iniicere intellectui cupiunt, cui potius calcaria addere debebant, ad plura in dies cognoscenda, pluresque inuestigandi veritates. Ut vel his constare possit, quam incongruum & sanæ rationi inconueniens sit, iuramento religionis constringere conscientiam, ad credenda per omne vitæ tempus illa dogmata, quæ ab ea Secta, cui nomen subscripsit, recepta sunt: quis est qui non vestigia Papatus hic agnoscat? ceu fuisus in Dissertatione nuperima (a) demonstrauimus. Quam sententiam licet in censuram reuocare, iudiciumque imaturum addere suum ausus ruper fuerit non nemo, sibi persuadens, non de credendis sed de agendis iurari, scilicet de non docendis falsis dogmatibus; manifesto tamen hoc tenori iuramenti refragatur, si modo quis verba recepta, quæ hic adducere superfluum existimamus, penitus considerauerit. Et, si de eo tantum iuratur, ne dogmata heterodoxæ, fundamentis fidei aduersa, publice doceantur, cur in Saxonia hoc iuramentum ab iis, qui politica officia subeunt, & quibus theologica docere nullo modo permittitur, exigitur? Recte itaque, nisi me omnia fallunt,

(a) De eo quod iniustum est circa iuramenti extrajudicialia.

fallunt, illi philosophantur, qui libertatem sentiendi nullo modo
constringi debere, sed saluum vbique relinquendum cuiusvis re-
ctius sentientis arbitrium afferunt. Quae res, cum per Dei gra-
tiam, his maxime temporibus, satis manifesta redditum sit, proli-
xiori demonstratione hoc loco non indiget. Id vero nunc ca-
vendum sedulo est, ne haec veritas per abusum in mendacium
conuertatur, neque libertas ista in libidinem degeneret; non
enim iejune, sed sobrie, explicanda est res tam seria. Ut pro-
inde salua ista veritate afferere liceat, libertatem sentiendi non
omnino liberam esse, sed certis pariter includi finibus, quos
transfilire sub specie libertatis non est concessum. Liberrima
creatura homo est, in ordine ad creaturas ceteras, & ad liber-
tatem istam amissam recuperandam a DEO ipso iastigatur, &
exterius per verbum ipsius revelatum, & interius per continua
animæ molimina, quæ ægre patitur se premi & quasi carcere in-
cludi. Verum quanta etiam sit illa libertas, qua se homo ultra
res mundanas effert, ita tamen comparata est, vt adhuc subor-
dinata sit voluntati DEI, qui solus summe liber est & modum
non recipit. Hinc liber est homo, & tamen Deo subiectus (b).
Libertas ergo sentiendi, quanta etiam sit, non omnino libera est,
nec enim aliter sentire licet, quam Deus voluit in verbo revela-
to. Non licet plus ultra ire. Alter si fiat, non queritur veri-
tas, sed opprimitur; non adspiratur ad libertatem, sed altis pas-
sibus festinatur in miseram seruitutem. Omne præiudicium
autoritatis humanæ respuit libertas sentiendi, sed non respuit
præiudicium autoritatis diuinæ, quin potius hoc fundamento
nisi debet libertas nostra. Recogitemus paulisper, qua ratione
summa libertate sua exciderint primi parentes & nos cum iis.
Prohibuerat Deus vesci fructibus arboris boni & mali, alioquin
morte eos morituros. Satanás contra persuadere ipsis conaba-
tur, non æquum esse hac seruitute se contineri, quodsi vero de
fructibus veritis comederint, tum solui posse vincula, quibus
detineretur intellectus, tum veram sentiendi libertatem se conse-

(b) Rom. VI, 18. seqq.

qui posse, dum cognituri essent perfecte quid bonum quid malum sit, fine hac cognitione se seruos esse, cum illa se Deo similimos fieri (c). Ad hanc ergo sentiendi libertatem cum inordinato amore sui ipsius adspirarent, in durissimam miseramque seruitutem prolapsi sunt. Hæc reputare apud animum convenit: Videntur enim mihi non pauci ex iis, qui pro libertate sentiendi pugnant, huc tanquam in alterum extremum prolabi. Quod virtutum maxime iuueam animis inhæret, qui amore novitatis, & perdegitæ rationis instinctu, primo Sceptici redduntur, & non tantum de sententiis ab hominibus inuentis, quod ferri poterat, sed & de veritate diuina, ne dicam de Deo ipso, quod intolerabile est, dubitare incipiunt; & deinceps vel unica, recedendi a veritate immota, ratione friuola licet inuenta, hanc tanquam sententiam non vulgarem & receptam amplectuntur; sub perpetuo libertatis sentiendi prætextu: Vbi tamen nihil aliud intendit abscondita in cordibus malitia, quam ut omne iugum, quod humeris nostris imposuit Deus sapientissimus, excutiatur & proiciatur. Quod si contra eant cordatiiores, monentque ne hic temere quid agant, cum & sentiendi non minus, quam volendi rationem aliquando reddere teneantur, clamare incipiunt, fidem cœcam & carbonariam a se exigi, cultumque requiri diuinum irrationalibem, abusi dicto Apostoli, quod tamen ipsis oppido refragatur (c). Quid hoc aliud est, quam lapsum Adami in mente sua renouare, & sub specie inquirendi lucem veritatis, in maiores tenebras se conicere. Deinde istam sentiendi libertatem qui sic temere profitentur, non debebant immemores esse propriæ miseriæ, cui in hac vita tanquam limitibus includitur ista libertas. Rem clarius sed breuiter demonstrabimus. Cupido non subsistendi in veritatibus iam agnitis, sed scrutandi scripturas, & nouas inuestigandi veritates, non semper, quin potius rarissime, ex amore veritatis prouenit, ut plurimum autem ex amore sui ipsius & innato hominibus fastu dum communia respuant, & præ reliquis se sapere, videri volunt.

(c) Gen. III, 1. seqq.

(d) Rom. XII, 1.

lunt. Cui appetitui ratio hominis, semper se efferre cupiens, maxime si paulisper exculta & ratiocinandi facultate, qua homo quilibet carnalis præditus est, instruēta sit, auxiliatrices manus fert, vt adeo communiter obseruare liceat, quod illi, qui præ aliis ingenio pollent, maxime in eo sint, vt dubi reddant omnia, nouaque excogitent dogmata. Propriæ igitur misericordia consideratio eo ducere debet homines, vt, dum libertatem sentiendi profitentur, prius propria scrutentur corda, an etiam voluntatem suam a dominio & seruitute Satanae & peccatorum per veram penitentiam liberauerint, an suppresserint amorem sui ipsius, fastum, aliosque pranos cordis affectus. Homini enim irregenito non est libera sentiendi facultas. Imo huius propriæ misericordia memor esse debet is etiam qui iam vici affectus & vera ad Deum conuersus est. Hostis superatus est, sed non planè oppressus. Unica reportata victoria, hunc hostem non funditus delet. Et si per tempus quiescat, nihil aliud agit, quam ut vires colligat, & occasionem commodam expectet de nouo aliquid moliendi. Hinc cuniculis & machinationibus occultis vultur, inque illis haut raro prætextu veritatis (e). Vidimus id supra in exemplo lapsus primorum parentum, videmus eandem scenam agi quotidie, mutatis tantum personis. Non omnes cogitationes sunt veritates, haud paucæ pro tentationibus habendæ. Nec ergo piis libera est sentiendi facultas, probanda omnia vt tentationes euadere liceat. Qui minus sibi confidit raro peccat, sed qui plus sibi tribuit, quam debebat, semper peccat. Caute ergo agendum. Utendum libertate sentiendi, sed non libere. Altero oculo veritatem inquirere, altero misericordiam nostram intueri oportet. Sed & misericordia proximi habenda est ratio, quantum is ferre possit, ne perturbetur, & ne incitetur, propter veritatem nouam ab ipso non agnitam, blasphemandi nomen diuinum. Quodsi hæc considerarent homines, non tam proni essent ad propalandas nouas suas sententias, quæ ut plurimum nondum satis perpense & probatae sunt. Quando itaque monen-

monentur desistere ab his sententiis, tanquam erroneous, confu-
giunt ad libertatem sentiendi. Sentiant quid velint suo pericu-
lo: ast libertas sentiendi non inuoluit libertatem docendi & pro-
palandi sententias conceptas. Dicunt, se inquirere veritatem:
Inquirant ergo, sed modis legitimis, nec obliuiscantur amoris
quem proximo debent: Spiritus veritatis est etiam Spiritus amo-
ris, & simul Spiritus mansuetudinis & humilitatis. Idque non
tantum in sententiis dubiis obtinet, in quarum veritatem adhuc
inquiritur, sed & in iis, quarum manifesta est veritas. Hic etiam
memores esse oportet miseriæ proximi, quantum ille percipiend
di hanc veritatem capax sit. Cautè procedendum, permitten-
dumque ut ipse Spiritus Dei opus suum in cordibus hominum
perficiat, eosque ad percipiendam veritatem preparet. Adeo
non libera est sentiendi libertas, sed his terminis & finibus in-
clusa. Potuissent hæc pluribus demonstrari, & de libertate sen-
tiendi in rebus humanis etiam non pauca adiici; Cum & hic ca-
vendum sit, ne nouas sententias, quia nouæ sunt, amplectamus,
sed illas potius cancellis veritatis & utilitatis proximi, tanquili-
tatisque Reipubl. includere necessum sit: Verum instituti ratio
hac vice id non permitit, hinc alii potius occasione id referuan-
dum. Interim hæc nunc prælibasse non omnino inutile iudico.

Hæc vero differendi occasionem nobis suppeditauit Cla-
rissimus Candidatus Io. DANIEL HAAKIVS de cuius vita stu-
diorum ratione cum quædam hic adnotanda veniant, loco præ-
faminis ista adiicere placuit. Natus vero est in libera S. R. I. ci-
uitate Nordlinga d. 21. Jun. Anno 1677. Ex patre M. Io. DA-
NIELE HAAKIO, Pastore ibidem & Superintendentे meritissi-
mo; matre ELISABETHA REHMIA, filii Io. LAVRENTII REH-
MII, Icti & Sereniss. Princ. Ottingensi olim a Consiliis intimis.
Quorum parentum, vt & Aui sui paterni DANIELIS HAAKII,
Pastoris in ciuitate Imper. Bopfinga, per quinquaginta & quod
excurrit annos fidelissimi, qui adhuc in viuis est, ductu & cura,
studioque optimorum in Schola Patria Praeceptorum, cum soli-
da & pietatis & eruditioñis fundamenta posuisset Anno 1694.

Vni-

Vniuersitatem Aldorfinam petiit, ibique veræ ac solidæ Philosophiae per aliquod temporis incubuit, ductu imprimis celeberrimi Viri IO. CHRISTOPH. STVRMII cuius singularem benevolentiam vere paternam, per integrum quadriennium, quo eiusdem coniuictu pariter & hospitio vsus est, sibi exhibitam, maximo-
pere adhuc laudat noster. Huius itaque auspiciis priuatim &
priuatissime, non singulas tantum vniuersitatem Matheos partes a-
liquoties pertractauit, sed & aliis eiusdem collegiis ad Physi-
cam conciliaricem, Matheos enucleatam, itemque Theosophi-
am, & experimentali seu curioso, sedulo interfuit, tandemque
sub illius praesidio publicum specimen, Disputatione *de Natura*
sibi incassum vindicato, habita, edidit. In Philologicis autem,
principue in Græcis DN. GEORGII MATTHIÆ KÖNIGII: In Hi-
storicis DN. DANIEL. GVLIELM. MOLLERI. In Eloquentia &
Poësi DN. MAGNI DANIELIS OMEISII, & in Moralibus DN. GE-
ORGII PAVLI RÖTENBECCII optimis doctrinis vsus est. Sed
ne quidquam negligeret, quod ad vera fundamenta omnis soli-
dioris eruditionis pietatisque pertinet, collegia aliquot ad Theo-
logiam positivam & moralem habuit, eo maiori fructu, quod
iam antehac litteris Hebraicis, Græcisque imbuto V. & N. Test.
textum Originalem maxima fæpe cum voluptate euoluere licuit.
His subsidiis optimis instructus, tandem quoque animum ad iu-
risprudentiae studium applicuit & in iure publico Celeberrimi
WAGENSEILII, in priuato Consultissimi DN. DONAVERI, iam
Consiliarii in patria Candidati nostri meritissimi, manuaductione
vsus. Quadriennio ita in Celeberrima Altorfina, peracto Anno
1698. Tbingam delatus, ibidemque in ædibus Celeberrimi
ICt. DN. FERDINANDI CHRISTOPHORI HARFRECHT, Sereniss.
Wurtemb. Ducis Consiliarii, integrum per biennium commo-
ratus est, qui singulare prorsus benevolentia exceptit nostrum,
& perpetuo eum dignatus est: Cuius & priuatis lectionibus
ad Institutiones & publicis ad digesta assidue interfuit. Prä-
terea vero Excell. DN. GABRIEL. SCHWEDEVVM Ius Feudale
pariter & Publicum explicantem aliquoties audivit. Nec mi-
nus

nus ceterorum Excell. ICtorum DN. MICHAEL GRASSI, DN.
ERNESTI THEOPHILI MAIERI, & DN. DAVIDIS SCHEINE-
MANNI, cuius coniunctu pariter vſus noster, präelectionibus fre-
quenter interfuit. Postea Anno 1700. mense Septemb. ad no-
stram ſe contulit Fridericianam, vt hic ceptum Altorfii ac Tu-
bingæ continuatum Iuris curſum absoluere. Hic vero cum
primis Venerandi parentis mei Collegia varia ad omnes Iuris
partes, tam publica quam priuata, imo & priuatissimum practi-
cum, conſtanter frequentauit. Nec minus opera Excell. DN.
THOMASII in exponendo Iure Publico & Ecclesiastico vſus eſt.
Mihique etiam in lectionibus Seckendorfianis auditor adfuit
perpetuus. De singulari porro humanitate, morumque pro-
bitate & modestia Clariss. Candidati non minora commemorari
poſſent, ſi non ipſe ſuo exemplo id omnibus probaret, vt ma-
iore commendatione ſuperſedere poſſim. Cum ergo valedi-
cendum ipſi fuerit Vitæ Academicæ, ad noſtrum accessit colle-
gium, atque vt testimonii publici cauſa ad examina conſueta,
Candidatis ſubeunda, admitteretur, modeſte petiit. Cuius ho-
neſtſi no desiderio cum non potuerimus non locum dare, ad-
miſſus eſt ad examina; vbi in vitroque talem ſe praefitit, vt i-
pſum dignum iudicauerimus, cui ex merito ſuo deferantur ho-
nores academicci.

Nunc vero cum Inauguralem ſuam diſſertationem DE
IVRE APOSTILLÆ SEV POSTSCRIPTI publicæ luci pu-
blicoque Examini exponat, vt frequentes adſint Iurium Cul-
tores, & Clarissimum Candidatum noſtrum beneuole audiant, eo
quo par eſt cultu & humanitate contendō. P.P.

M. Maio MDCCII.



halley, miss.) 1702 (Sa/Styrk)

ULB Halle

001 540 882

3



5b.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

Inches

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

13
1702 296 156
PROGRAMMA
DE
**LIBERTATE SEN-
TIENDI NON LIBERA,**
QVO AD
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DE
IVRE APOSTILLÆ SEV POSTSCRIPTI,
A
CLARISSIMO CANDIDATO
IOANNI DANIELE HAAKIO,
NORDLINGA - SVEVO,
HABENDAM,
IVRISPRUDENTIAE CVLTORES
INVITAT
IOANNES SAMVEL STRYKIVS, D.
PROF. P. ORD. ET FAC. IVRID. H. T. DECANVS.